

*ex hoc percipitur quanta
est magna abstinencia
illorum
nota hic officium aliquo-
rum religiosorum & pres-
biterum ad honorem
ydolorum*

*isti funera comburunt
& omnes isti adorant
ydola*

*est quedam insula
saraceni dicunt quod super
montem istum est monu-
mentum ade ydolatri di-
cunt quod sit sepulcrum
sogomoni qui sit sanctus
reputatus apud eos ad
cuius nomen ydola fuer-
unt prius inuenta vt hic
patet*

dificienti eis cibo perirent & cum substancia illa egrediatur de corpore nostro quia absque cibo etiam uiuere non ualemus de morte tot animarum maximum haberemus peccatum que foret de nostra substancia concreata & idio sic illam substanciam nichilamus ut ex ipsa non ualeant vermes aliquid concreari ad hoc ut deficiente cibo ad culpam & defectum nostri postmodum moriantur. isti uero religiosi permanent etiam super terram nudi absque aliqua alia re mundi existente a parte superiori uel inferiori. & est mirum quod non moriuntur & quod tam longo tempore uiuunt | faciunt etiam magnam abstinenciam comedendi carnes Jeginant 83v^o toto ano & nil aliud quam aquam potant Jtem uobis aliquid referemus nam habentur ibi religiosi siue presbiteri qui in ecclesiis permane[n]t ad seruicium ydolorum qui cum ad aliud* officium siue ordinem apponuntur per hunc modum uidelicet cum quod aliquis ex ipsis decedat & alius eligi debeat loco sui domicile que ydolis sunt oblate ut in libro superius dictum est tangunt illum qui eligi debeat per omnia membra & eius naturam amplexantur ipsum & osculantur ac ei faciunt omnia solatia que sciunt & posunt & si membrum eius siue natura aliquo modo moueatur ipsum non retinent set emitunt & remittunt ipsum dicunt enim quod penes se retinere nolunt uirum luxuriosum si uero membrum illud non moueatur in aliquod ad hoc ut motu luxurie erigi uideatur ille bonus & honestus reputatur & ipsum retinent penes se ad seruicium ydolorum & isti sunt multum perfidi ydolatri faciunt comburi funera quia dicunt quod si non facerent ipsa comburi vermes procrearent & postmodum vermes comedissent ea tota de quibus creati essent non haberent ad comedendum & sic oporteret eos mori & cum vermes essent mortui | anima defuncti magnum peccatum haberet & hec est 84r^o ratio quare funera comburunt. nam dicunt quod uermes habent animam nunc diximus de moribus istorum adorantium ydolla amodo dicemus quoddam pulcrum nouum quod obliuioni tradideramus in ynsula seillam. hic naratur de insula Seylam

Seylam est quedam insula magna prout supra retulimus in libro in hac quidem insula est quidam mons ualde altus ita diruptus in suis rupibus & grotis quod nullus supra ipsum ascendere potest nisi per hunc modum quem uobis dicemus quoniam ab isto monte pendent multe catene de fero taliter ordinate quod homines posunt ascendere per ipsas catenas usque ad summitatem montis dicunt enim quod super illum montem est monumentum ade primi patris saraceni quidem dicunt quod illud sepulcrum est ade ydolatri uero dicunt quod sit sepulcrum sogomoni burghan & iste sogomoni fuit primus homo ad cuius nomen ydola fuerunt primitus inuenta quia secundum eorum consuetudinem & opinionem iste fuit melior homo qui nunquam fuisset inter eos & fuit primus homo quem

* Read : illud and, just below, quod cum